



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**De Collegiis Canonicoꝝ Per Germaniam, Belgivm,  
Galliam, Hispaniam, Italiam, Aliasqve Orbis Christiani  
Prouincias, Liber Singvlaris**

**Le Mire, Aubert**

**Coloniae Agrippinae, 1615**

Capvt LXXIX. Sancti Gorgonii Collegivm Hugardiense in d. Leodiensi.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11227**



**S**ODVINVS Martyr, ad Sacerdotij honorem prouectus, singulariter inuigilabat ieiunio, orationi, Psalmodiæ, & elemosynis. Vnde cum iret in villam *Melceles* (aut *Meldaert*, vt putatur) celebraturus diuina, obuios habuit duos scurras, qui fraude machinabantur extorquere pecuniam, quam pupillis, viduis, & indigentibus distribuere eum cognouerant. Sed alter, qui se mortuum simulabat, iusto Dei iudicio mortem obiit; à qua tamen pijsimus Oduinus eum resuscitauit. Postmodum exorta est quæstio inter agricolam quendam & filiolum spirituales S. Oduini de meta inter confinia agrorum, pro qua secundum ius & æquitatem decidenda, communi consensu is nominatus est arbiter. Beatus autem vir sententiam decidit contra suum filiolum: Vnde is ira percitus, fossorium à manu patrini suscepit, & in verticem eius virulenter direxit, sciditque ei caput medium. Sanguinis autem effusio fontis venas mox aperuit, de cuius lotionem multos fuisse restitutos sanitati, constat. Natalem habet in die natali præcursoris Domini.

Est autem Hugardia celebre municipium diœcesis & territorij Leodiensis, Brabantia

CONTI-



contiguum: quod cum Baldricus Episcopus  
fosis munire vellet, restitit cum exercitu Lã-  
bertus Barbatus, Comes Louaniensis; & ex  
parte Episcopi trecenti ceciderunt. Ad quo-  
rum réfrigerium idem Episcopus Leodij cõ-  
struxit monasterium Sancti Iacobi in Insula.

## CAPVT LXXX.

SANCTI ELMERI COLLEGIVM  
*Molhauense, in d. Leodiensi.*

COLlegium hoc situm est in diœcesi Le-  
codiensi, non procul à Mariæ Burgo  
Hannoniæ opido, duobus milliaribus à Gi-  
ueto opido ad Mosam sito. Fuit autem *S. El-  
merus Episcopus & confessor, ac Molhauensiũ*  
Patronus, de quo vide Molanum in Natalib.  
Sanctorum Belgij 27. Augusti.

SANCTI MONONIS COLLEGIVM  
*Nassouiense in d. Leodiensi.*

SANCTVS Mono Martyr, angelico mo-  
nitũ, ex Scotia in Arduennam venit, v-  
bi solus soli Deo multo tempore seruiuit, &  
feliciter occubuit, à sicarijs latronibus con-  
fossus; vbi etiam est sepultus in Ecclesia quam  
ipse construxerat. Est autem *Nassoin* pagus il-  
lustris sanguine & reliquijs gloriosi Martyris,  
sub ditione Abbatis monasterij Sancti Huber-  
ti, quod est in Arduenna; à quo duobus mil-  
liaribus distat intra diœcesim Leodiensem.